



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

VII. Lex de sacrilegis ab Ioanne papa Gothicis legibus addita in Concilio  
Tricassino.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

Ottramnus Viennensis archiepiscopus subscripsi.  
 Isaac Lingonensis episcopus subscripsi.  
 Gerboldus Cabilonensis episcopus subscripsi.  
 Agilmarus Aruernensis episcopus subscripsi.  
 Bernerus Gratianopolitanus episcopus subscripsi.  
 Abbo Neuernensis episcopus subscripsi.  
 Ottulfus Augustæ Tricorum episcopus subscripsi.  
 Gislebertus Carnotensis episcopus subscripsi.  
 Vvlefridus Vcetiensis episcopus subscripsi.  
 Hildebaldus Sueffionensis episcopus subscripsi.  
 Teutherus Gerundensis episcopus subscripsi.  
 Ingelvinus Parisiorum episcopus subscripsi.  
 Hedenulfus Laudunenensis episcopus subscripsi.  
 Adebertus Siluanectensis episcopus subscripsi.  
 Berno Catalaunorum episcopus subscripsi.  
 Maricus Biterrensis episcopus subscripsi.  
 Hecfridus Pictauiensis episcopus subscripsi.  
 Item Abbo Magalonensis episcopus subscripsi.  
 Frodoinus Barcilonensis episcopus subscripsi.  
 Arnaldus Tullenensis episcopus subscripsi.

## VII.

LEX DE SACRILEGIS A IOANNE PAPA VIII.  
 Gothicis legibus addita in Concilio Tricassino.

*Ioannes episcopus seruus seruorum Dei, omnibus episcopis, comiti-  
 bus, vicecomitibus, centenariis, iudicibus catholicis, in His-  
 pania & Gothia prouinciis degentibus, omnique populo occi-  
 dentali catholico, salutem & apostolicam benedictionem.*

Iuo part. 3.  
c. 98.

**N**OVERITIS, dilectissimi filii, quia nos pro statu san-  
 ctæ Dei ecclesiæ iussimus congregari synodale Con-  
 cilium apud urbem Treca. Vbi sedentibus nobis in coro-  
 na, venit ante præsentiam nostram filius noster Sigebodus  
 primæ sedis Narbonensis episcopus, cum suis suffraganeis  
 episcopis, & detulit nobis librum Gothicæ legis, vbi nihil  
 habebatur de sacrilegiis, & in eisdem legibus scriptum erat,  
 vt causæ, quas illæ leges non habent, non audirentur a iu-  
 dicibus illius patriæ: atque ita ius sanctæ ecclesiæ suffoca-  
 batur ab incolis Gallia & Hispania prouinciis. Vnde no-  
 stra serenitas, cum præscriptis episcopis, inspectis legi-  
 bus Romanis, vbi habebatur de sacrilegiis, inuenimus  
 ibi a Iustiano imperatore legem compositionis sacrilegii  
 constitutam in quinque libras auri optimi. Sed nos lenio-



ANNO  
CHRISTI  
878.

rem legem præcipimus esse tenendam, quæ a Carolo est constituta pio principe de compositione sacrilegii, videlicet in xxx. libras examinati argenti, id est sexcentorum solidorum summam argenti purissimi. Ideoque quisquis inuentus fuerit reus sacrilegii, istam leuiorem compositionem emendet episcopis ipsis, vel abbatibus, siue personis, ad quas querimonia sacrilegii iuste pertinuerit: & si ipse reus sacrilegii facere noluerit, tamdiu excommunicationi subiaceat, vsquequo prædictam compositionem sexcentorum solidorum persoluat. Et si in hac obstinatione mortuus fuerit, corpus eius cum psalmis & hymnis non deferatur ad sepulturam. Et præcipimus vt in fine codicis legis mundanæ scribatur hæc lex.

17. q. 4.  
Quisquis  
inuentus.

VIII.

EPISTOLA

IOANNIS PAPÆ VIII.

Priuilegium ecclesiæ Pictauiensis, ne quis eius bona inuadat, & vt ablata restituantur.

*Omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, præsentibus scilicet atque futuris.*

**D**IVINO quia Romanum pontificium largitu enitet Epist. iii. vniuersis, illud luce clarius constat, largita defendere cunctis: quoniam indubitati iuris est, semel concessa perenni cultu fore tenenda. Ceterum omnium religiositas, orthodoxorumque pernoscat fidelitas, quod vt relatu quorundam didicimus, Pictauiensis quidem ecclesia, quam diutinus Paganorum hostis persequitur, multa Christianorum iniquorum incommoda patitur, quibus pressuris nos conuenit perdolere, eamdemque nihilo minus tanto facce leuare. Quapropter præcipimus, apostolicaque auctoritate expresse iubemus, quod nemo vestrum, tam sacerdotali ordine perfruens, quamque militare officium tenens, ipsius ecclesiæ Pictauiensis aliquam ecclesiam, aliquodve monasterium, vel prædia ipsi quoquomodo pertinentia inuadere præsumat, vllosve colonos, seruos, ancillasve, contra sui episcopi velle tollere audeat: sed liceat ipsius ecclesiæ Hecfrido videlicet episcopo, suisque successoribus, illa, quæ sui antecessores legitimo tramite canonice auctoritatis habuerunt, sub nostra tuitione habere, & vt